ABC ABC ABC

Sit notum cunctis presentibus et futuris. Quod nos Sancia de Urrea dei gratia priorissa domus Sexene, cum consilio et voluntate et communi assensu domne Orie de Valterra subpriorisse, et domne Guillelme Cantoris,
et domne Gilie sacristane, et domne Urrache de Lysa clavigere, et fratris Martini de Pompien preceptoris, et fratris Petri Sancii prioris, et fratris Petri de Garonna, et fratris Sebastiani clavigeri, et de consilio et volun-
tate omnium aliarum dominarum et fratrum iamdicte domus, bono animo et spontanea voluntate, pro nobis et pro omnibus successoribus nostris damus et concedimus et in presenti tradimus tibi Marie de Villa Nova, filie Iusti Fante vise
et alumpne, unum ortum nostrum quem habemus in termino de Villa Nova ad tributum, et omni generationi et posteritati tue in perpetuum. Sic affrontat de una parte in orto Guillelmi de Corbins, et de alia in orto
Bernardi sastoris. Et de tertia parte in bragali unius partis, et de quarta in orto filiorum Petri de Palago. Sic iste affrontationes includunt et determinant predictum ortum per circuitum. Sic damus et concedimus et in
presenti tradimus cum hac presenti pagina perpetuo valitura tibi Marie predicte et omni generationi et posteritati tue in perpetuum illum totum ab integro cum introitibus et exitibus suis, et cum omnibus eiusdem pertinentiis, pro II solidis
de tributo. Quos tu vel qui ipsum ortum pro te vel tuos tenuerit et possederit, donet nobis et successoribus nostris singulis annis in perpetuum in festo sancti Michaelis in mense septembris. Retenta fadiga XXX dierum nobis et nostris
successoribus in ipso orto. Ita quod si illum vendere volueritis, dicatis vos vel vestri, et de ipso emendo nos moneatis in ipsis XXX diebus. Et si nos emere noluerimus, ipsum sic alium habeamus. Sin autem illum vendatis cui vo-
lueritis, exceptis clericis et infanzonibus, salva fadiga nostra et tributo in perpetuum et nostris successoribus. Predictum vero ortum sicut superius continetur, tu prenominata Maria et omnis generatio et posteritas tua in perpetuum habea-
tis plenarie, teneatis potenter, et iure vestro hereditario possideatis et expleccetis sic melius dici vel intelligi potest ad usum utrorumque, proficuum et bonum intellectum. Facta carta in mense Ianuarii. Era M. CC.
LX. VIII. Signum Sancie de Urrea dei - gratia - pri - orisse - domus - Se - xe - ne. —
Signum domne - Orie de Valterra subpriorisse. Signum domne Guillelme Cantoris. Signum domne Gilie sacristane. Signum domne Urrache de Lysa clavigere. Signum fratris Martini
de Pompien preceptoris. Signum fratris Petri Sancii prioris. Signum fratris Petri de Garonna. Signum fratris Sebastiani clavigeri. Ego Andreas scriba dicte priorisse mandato ipsius et predictarum dominarum
et fratrum et aliarum dominarum et fratrum iamdicte domus hanc cartam scripsi mense et era prefixis, et hoc signum feci, et per litteras divisi, et in XIII linea rasis litteris emendavi. - - -

RT 146

[illegible] de [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] et [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

6/10
1230-1

[illegible] de [illegible]